Synodus Dioecesana

DENVERENSIS I. II. III.

SYNODUS DIOECESANA

DENVERENSIS I. II. III.

A REVERENDISSIMO

NICOLAO CHRYSOSTOMO MATZ,

EPISCOPO DENVERENSI

HABITAE

DIE 2 AUGUSTI, A. D. MDCCCLXXXIX.

DIE 31 JULII A. D. MDCCCXCI.

DIE 4 AUGUSTI A. D. MDCCCXCIII.



LAS VEGAS:
EX TYPIS SOCIETATIS JESU.

1894.

INDEX RERUM.

APPENDIX.

LITTERAE INDICTIONIS SYNODI I.

NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,

DIVINA PROVIDENTIA ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS DENVERENSIS,

Dilecto Clero dioecesano tam Saeculari quam Regulari in Domino Salutem.

Quod jamdiu Decessori Nostro Nobisque in votis fuerat, quodque ob varias rerum ac temporum circumstantias hucusque praestare non potuimus, hoc opportunum Nobis visum est et, Deo adjuvante, tandem perficere statuimus ut, eo quo possimus meliori modo, canonicis regulis conformemur.

Itaque hisce praesentibus litteris primam dioecesanam Synodum, die 2 Aug. praesentis anni habendam indicimus. Omnes Sacerdotes tam Saeculares quam Regulares curam animarum habentes ad Ecclesiam Cathedralem, praedicta die 2 Aug., hora 6 A. M., habitu clericali, superpelliceo et birreto induti conveniant.

Qui canonico impedimento ne intersint praepediti fuerint, excusationem dies saltem decem ante dictam celebrationem ad hanc curiam dabunt, ut de istiusmodi excusationis opportunitate a statutis judicibus decerni possit.

Caeterum cum omne donum perfectum a Patre luminum expectandum sit, idque per continuam tam Cleri quam populi orationem, ordinamus ut a Dominica hanc publicationem subsequente, usque ad Synodi conclusionem, in Missa, loco orationis pro Papa, oratio de Spiritu Sancto, servatis aliunde rubricis, dicatur.

Hac occasione omnes certiores facimus:

1. Quod Exercitia Spiritualia ("The Retreat") locum habebunt die 29 vespere hujus mensis, quibus adesse omnes obligantur. Locus ad hoc electus collegium erit Jesuitarum, Denver Highlands.

2. Quod Reverendus Pater Raverdy, quemadmodum hucusque, sic in posterum Vicarii Generalis munere nostram per ordinationem fungetur.

Datum Denver ex nostra Residentia Episcopali, die 23 Julii anni 1889.

✠ NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,
Episcopus Denverensis.

LITTERAE INDICTIONIS SYNODI II.

NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS DENVERENSIS,

Dilecto Clero Dioecsano tam Saeculari quam Regulari, Salutem in Domino.

Duobus jam prope elapsis annis ex quo prima hujus Dioeceseos habita est Synodus, ipsa temporis ratio ac praesertim gerendi gravitas negotii Nos admonet ne hac in parte muneri Nostro deesse videamur. Praeterea, decursu temporis, ut in rebus evenit humanis, nova semper quaedam docet magistra vitae sapientia; alia ipsae dissimiles rerum circumnstantiae suadent.

Itaque, hisce praesentibus litteris, alteram dioecesanam Synodum, die 31 Julii anni currentis habendam, indicimus atque convocamus. Hunc in finem, praedicta die 31 Julii, hora 8 A. M., omnes Sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares, curam animarum habentes, ad Collegium Sacratissimi Cordis Denverense convenient, habitu clericali, superpelliceo et birreto induti.

Qui canonico impedimento ne intersint praepediti fuerint, excusationem, dies saltem decem ante dictam celebrationem, ad hanc Curiam dabunt, ut de istiusmodi excusationis opportunitate a constitutis judicibus decerni possit.

Caeterum, cum omne donum perfectum a Patre luminum descendat, indeque nobis auxilium venturum sit, ordinamus ut a Dominica hanc convocationem subsequente, usque ad Synodi conclusionem, in Missa, loco orationis imperatae pro Papa, quotidie oratio de Spiritu Sancto recitetur, servatis caeteroquin rubricis.

Eadem hac occasione, omnes facimus certiores Exercitia Spiritualia ("the retreat") initium sumptura esse ad vesperam diei 26 hujus mensis, quibus omnes adesse tenentur. Locus ad hoc electus supradictum est Collegium Sacratissimi Cordis.

Datum ex aedibus Nostris, Denver, die 15 Julii, A. D. 1891.

✠ NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,
Episcopus Denverensis.

PROCLAMATIO SYNODI III.

NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,

DIVINA ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS DENVERENSIS,

Dilecto Clero dioecesano tam Saeculari quam Regulari in Domino Salutem.

Quae in duabus prioribus Synodis ad experimentum quasi, potius quam ad certam agendi regulam, propositae fuerunt constitutiones, quin prius, ut par erat, synodalis Concilii revisioni et approbationi submitti potuerint, easdem nunc experientia comprobatas, emendatas atque in unum redactas, nec non et Synodalis Concilii revisioni subiectas, ab eodemque approbatas, hic proponimus ac proclamamus, easque omnes una cum iis quae in Conciliis Baltimorensibus, et speciatim in III, continentur, ab omnibus Sacerdotibus, sacra munera in hac Dioecesi exercentibus, fideliter servari praecipimus.

Ex Synodo Dioecesana Denverensi III die IV Augusti MDCCCXCIII.

✠ NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,

Episcopus Denverensis.

OFFICIALES DIOECESANI.

Vicarius Generalis:

ADM. REV. H. ROBINSON.

Consultores Dioecesani:

ADM. REV. H. ROBINSON,
REV. J. B. GUIDA, S. J.
REV. W. J. HOWLETT,
REV. J. P. CARRIGAN.

Cancellarius:

REV. P. A. PHILLIPS.

Defensor Matrimonii:

REV. W. O'RYAN.

Procurator Fiscalis:

REV. T. H. MALONE.

OFFICIALES SYNODI.

Promotor:

REV. J. B. GUIDA, S. J.

Notarius:

REV. J. P. CARRIGAN.

Secretarius:

REV. W. J. HOWLETT.

Procuratores Cleri:

REV. W. O'RYAN,
" P. A. PHILLIPS.

Magistri Caeremoniarum:

REV. G. RAEBER,
" P. A. PHILLIPS.

Cantores:

REV. J. B. PITAVAL,
" B. F. LOGAN, O. P.

SYNODALES.

ADFUERUNT:

Ex Clero Saeculari:

Adm. Rev. D. Robinson H.
" " Carrigan J. P.
" " Dagnault P. S.
" " Desaulniers J. M.
" " Donnelly J. J.
" " Downey E.
" " Faber A.
" " Gibbons J. J.
" " Hickey J. G.
" " Howlett W. J.
" " Malone T. H.
" " Moitrier W.
" " Nevin W. A.
" " O'Begley D. S.
" " Phillips P. A.
" " Pickl J.
" " Pitaval J. B.
" " Raeber G.
" " Volpe I.
" " Winter P. C. A.

Ex Clero Regulari:

Rev. P. Bonifacius, O. S. B.
" " Gabriel, O. S. F.
" " Guida, S. J.
" " Hohmann, O. S. B.
" " Leggio, S. J.,
" " Logan, O. P.
" " Marra, S. J.
" " Montenarelli, S. J.
" " Pennella, S. J.
" " Pius, O. S. F.
" " Placidus, O. S. B.
" " Tomassini, S. J.

ABFUERUNT.

Ex Clero Saèculari:

Rev. D. Bender F.
" " Brinker J.
" " Brown J. M.
" " Callanan M. F.
" " Francolon J. B.
Rev. P. Kelly P. J.
" " Geisler F.
" " Ley E.
" " Lyons D.
" " O'Rourque
" " Robinet P.
" " Rivallier E.
" " Schraffle F. X.
" " Sherr G. P.
" " Sullivan F.
" " Ussel G.

Ex Clero Regulari:

Rev. P. Barry, S. J.,
" " Ferrari, S. J.,
" " Personé, S. J.

CONSTITUTIONES.

TITULUS I.

DE OFFICIALIBUS EPISCOPI.

I. *Qui et quot sint.*

Officiales, quorum opera et consilio in Dioecesi nostra administranda utimur, sunt: Vicarius Generalis, Cancellarius, Secretarius et Consultores Dioecesani.

Consultores eligentur ad triennium.

II. *De Dioecesis consultationibus.*

Consultores Dioecesanos quater in anno aut saepius, si fuerit necessarium, convocabimus, ut opera eorum in rebus a Concilio Plenario Baltimorensi indicatis adjuvemur.

Secretarius omnia, quae ibi dicta vel determinata fuerint, in registro scribet.

III. *De Curia Ecclesiastica.*

Quoniam Instructio "Cum magnopere" illam datam die 20 Julii 1878 postposuerit, omnia quae in posterum ad causas criminales sive disciplinares pertinebunt, juxta illius Instructionis norman dijudicanda erunt.

Pro Officialibus Curiae, Confer Indicem.

TITULUS II.

DE CLERO DIOECESANO.

IV. *Juramentum praestabunt.*

Omnes, qui titulo missionis inter sacros ministros hujus dioeceseos cooptari cupiunt, juxta repetitas S. Congregationis declarationes, prius juramentum emittere tenentur, quo spondeant se in dioecesi perpetuo, in divinis administrandis, laborem suum et operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salutem animarum impensuros. (Conc. Plen. III. 61.)

V. *Clerici advenae probentur, priusquam admittantur.*

Nullus sacerdos alienae dioeceseos in clerum nostrum inscribi potest, quin prius, litteris commendatitiis et excardinationis a suo Episcopo allatis atque exhibitis, a nobis admitti postulet; et per quinquennium in ministeriis sacris probetur; si probatio fuerit ad aedificationem, et ille idoneus reperiatur, expresso decreto dioecesi adscribetur. Ex communi vero consilio et consensu utriusque Episcopi atque ipsius sacerdotis, poterit is ex propria dioecesi excorporari et in nostram incorporari absolute et immediate, praetermisso probationis tempore. (Conc. Plen. III. 63.)

VI. *De litteris admissionis et dimissionis.*

Decernimus quod, sicut nullus sacerdos exterus in hanc dioecesim adscribendus est, priusquam litteras dimissoriales proprii Episcopi rite confectas nobis exhibuerit ita neque hae litterae ulli sacerdoti a nobis dandae erunt, nisi certo constet eumdem ab alio Episcopo in dioecesim suam fore admittendum. (Conc. Plen. II. 122.—Conc. III. 67.)

VII. *Abeuntes facultates amittent, nec passim redeuntes adquirent.*

Sacerdotes, qui dioecesim reliquerint cum animo non redeundi, eo ipso facultatibus quibuslibet in hac dioecesi privantur; atque si postea redierint, etiam pertranseunter, neque Missam celebrent, neque aliam quamlibet functionem sacram exerceant, nisi nostram specialem permissionem in scriptis habeant.

VIII. *Jura eorum ad tempus huc accedentium.*

Sacerdotes, qui ad nostram dioecesim, ad valetudinem recuperandam, aliamve ob causam ab Ordinario suo approbatam, venerint, nullam autem petitionem pro incardinatione porrexerint, tamquam hospites sacerdotales habebuntur, et nulla jura quoad incardinationem sortientur, etsi plures annos in dioecesi, nobis permittentibus, versati sint, et facultates dioecesanas exercuerint.

IX. *De exclaustratorum admissione.*

Quod pertinet ad sacerdotes religiosos, qui a suis congregationibus seu institutis egressi sunt, atque in hanc dioecesim adoptari desiderent, sequendae sunt regulae a Plen. Conc. Balt. III, 65, traditae.

X. *De Rectoribus et Missionariis.*

Rectores illi tantum erunt quos nos ut tales designabimus; alios autem sacerdotes tamquam Missionarios habebimus, quorum opera uti ubilibet in Dioecesi in animo est, prout fidelium utilitati magis convenire in Domino judicaverimus.

XI. *De Districtibus Ecclesiasticis.*

Districtus etiam ecclesiasticos, paroeciarum instar, illorum curae committemus quos parochos vocamus. Missionariis quoque districtus assignabimus, intra quorum limites munus

suum exercere et fidelium ibi degentium curam habere debent; illis sacramenta administrare tenebuntur, et illorum saluti invigilare.

XII. *De ministeriis extra paroeciam et in extraneos.*

Extra paroeciae vel districtus eis commissi limites, nullum sacerdotem volumus exire ad munus pastorale exercendum, nisi forte ad infirmorum, qui eum accersiverint, confessiones excipiendas; nec aliorum pastorum oves ad ecclesiam suam accedentes licebit ad sacramenta (exceptis Eucharistia et Poenitentia) admittere, sine pastoris proprii consensu, si ipsius habendi copia sit, vel venia Nostra, nisi grave valde incommodum et detrimentum animarum ex ministerio denegato plane oriturum sit; de quo tenebitur pastorem proprium quamprimum scripto edocere, et nomina in registro describenda, si inscribenda sint, statim tradere.

XIII. *Quibus oblationes debentur.*

In casibus autem, in quibus ex hac extraordinaria facultate sacramenta administrant, cum id ordinario jure facere non possint, omnes stricte teneantur oblationes acceptas illi restituere, cujus fuisset sacramenta illa administrare.

XIV. *De absentia a propriis paroeciis.*

Monemus omnes hujus Dioeceseos Sacerdotes, ne absque gravi ratione a Congregatione seu Districtu sibi commisso discedant, etiam per tres dies continuos, praesertim die Dominica, vel festo de praecepto interveniente; ipsis quippe absentibus, (quum alii sacerdotes plerumque desint,) fideles nequeunt praecepto audiendi sacrum satisfacere, et de vita periclitantes subsidio sacramentorum privantur. Quod si discedendi extiterit necessitas, meminerint tridentinam legem exigere ut "Causa prius per Episcopum cognita et probata sit." Licentiam igitur hujusmodi petendam declaramus, quandocumque fieri poterit, quoties per integram hebdomadam, vel die Dominica, vel Festo de praecepto, a Con-

gregatione sua vel Districtu sacerdos quilibet, curam animarum gerens, abfuturus est.

XV. *De clero dioecesano providendo.*

Ut futuris hujusce dioeceseos incrementis efficaciter consuletur, provisio Nobis circa Clericos dioecesanos ("Seminarians"), necessario facienda est; ideoque statuimus ut quotannis collatio seu collecta, pro clericis nostris, iuxta normam in appendice traditam, in unaquaque paroecia et missione fiat. Pecunia autem, ut ibi indicatur, quamprimum ad Cancellarium nostrum transmittenda erit.

XVI. *De examine juniorum sacerdotum.*

Ad praecavendum ne apud juniores de clero sacrae scientiae studium unquam defervescat, mandamus ut omnes et singuli sacerdotes quotannis per quinquennium, coram Episcopo, ejusve delegato, et examinatoribus cleri dioecesani, stricte examinentur super variis praestitutis ecclesiasticae scientiae partibus, Scripturae scilicet Sacrae, Theologiae Dogmaticae et Moralis, Rei demum Liturgicae.
Si quis forte quaestionibus propositis, ut par est, minime satisfecerit, quinque annis elapsis, tot iteratis examinibus subjicietur, quot nulla vel insufficientia ab examinatoribus fuerit declarata. De singulis autem examinatis scripto exaretur judicium in Episcopi archivo diligenter custodiendum. (III Pl. Con. 187, 188.)

XVII. *De collationibus theologicis.*

Parum quidem clericis prodest sacris scientiis ineunte aetate sedulam operam navasse, si quum annis provectiores sunt, doctrinae et lectioni non attendant. Sacrarum enim scientiarum studiis neglectis, paulatim fiet ut tum Dogmaticae tum Moralis Theologiae cognitio nonnisi exigua et confusa habeatur cum magno animarum periculo, et religionis dedecore. Quare Conciliorum Baltim. II. et III vestigiis insistentes, statuimus ut bis in anno collationes de rebus

theologicis juxta normam a Conc. Balt. III. traditam habeantur. (Conc. Plen. III. 190 et 192).

Harum collationum coetus, vel conventus in praesens quatuor erunt juxta distributionem in appendice traditam.

Iis collationibus sacerdotes omnes sive saeculares, sive regulares, qui curam gerunt animarum, nec non confessarii qui, quamvis certae Ecclesiae adscripti non sint, confessiones tamen excipiunt religiosarum feminarum in earum domibus, aut laicorum in ecclesiis publicis, adesse tenentur. (Conc. Pl. III. 191.)

TITULUS III.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

XVIII. *Quomodo Sacerdotes se gerant.*

Ut sacerdotes in omni loco bonus sint odor Christi, facti forma gregis ex animo, memoria altissima reponantur verba Conc. Trid. in prooemio sess. 14 et in sess. 23 cap. I. "Moneant Episcopi suos Clericos, ut conversatione, sermone, scientia, Dei populo praeeant, memores ejus quod scriptum est: 'Sancti estote quia et ego sanctus sum:' et juxta Apostoli vocem, 'nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum.' Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt."

XIX. *De vestitu clericorum.*

Ecclesia praescribit oportere clericum vestes proprio suo statui congruentes semper deferre: volumus itaque et praecipimus, ut omnes sacerdotes hujus dioeceseos ecclesiae legem servent, domique degentes vel in templo, veste talari, quae clerico propria est, semper utantur. Cum foras prodeant breviore quadam veste indui licet, quae tamen nigri

coloris sit et ad genua producatur. ita ut a laicis distingui possint. Stricto praecepto sacerdotibus nostris injungimus, ut tam domi quam foris, sive in propria dioecesi degant, sive extra eam, collare, quod romanum vocatur, gerant. (Conc. Pl. III. 77.)

XX. *De negotiis saecularibus evitandis.*

Sacerdotes, excepto casu necessitatis, sese in testamentis conficiendis non immisceant, neque inconsulto Episcopo, sese constitui sinant executores testamentorum laicorum, aut orphanorum custodes, (guardians,) neque in rebus pecuniariis, aut in executione quorumcumque contractuum se vades aliorum constituant.

XXI. *Cauponae vitandae.*

Monent Patres Concilii Balt. II. 161, ut clerici omni studio caveant, "ne corda eorum et conscientiae graventur crapula et ebrietate."

"Ut flagitii occassionem, quae in cauponis et tabernis deesse non solet clericis adimamus, cauponarum aditum et usum eis omnino interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa." (Confer Conc. Pl. III. 80.)

XXII. *Mulierum familiaritas arcenda.*

Quum sacerdotes non solum innocentes verum etiam ab omni mala suspicione immunes esse debeant, "volumus ut saecularium mulierum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate nimia utantur, neque eas, licet propinqua cognatione conjunctas, in eadem secum domo commorari sinant, nisi fuerint vita et moribus spectatissimae, quaeque nullo modo, sive directe, sive indirecte, se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiae administrandis immisceant. Oeconomam, ancillam, aliamve famulam nullam habeant, nisi quae sit maturioris aetatis, famaque integerrima gaudeat. Nunquam coram illis aut propinquis, si quas apud se habeant, de gregis regimine, de ecclesiae negotiis, de paro-

chianorum vitiis aut defectibus verba faciant." (Conc. Pl. II. 164.)

XXIII. *A ludis et spectaculis abstineant.*

Ut ecclesiastico ordini honor suus et decus servetur, mandamus, ut sacerdotes a publicis equorum prorsus abstineant cursibus, a theatris et spectaculis." (Con. Pl. III. 79.)

XXIV. *De rebus politicis et saecularibus ne tractent.*

Sacerdotes in ecclesia a rebus politicis aut mere saecularibus discutiendis, tum extra ecclesiam, tum multo magis in ipsa, sedulo abstineant. (Conc. Pl. III. 83.)

XXV. *Negotiationes rejiciendae.*

Canonum praecepta de illicita clericorum negotiatione ab omnibus stricte servanda esse declaramus. (Conc. Pl.III. 82.) 82.)

XXVI. *Medicinae exercitium prohibetur.*

Medicinam et chirurgiam, nec lucri gratia, nec caritatis specie, exerceant. (Id.)

XXVII. *Litigationes in foro saeculari vitentur.*

Hortamur sacerdotes nostros, "ubi cum homine etiam saeculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat." (Conc. Balt. II. 155.) Omnino vetamus, ne contra laicum de pecunia pro sedium locatione, vel alia de causa ecclesiae debita, coram tribunali civili agant, nisi accepta prius in scriptis Episcopi licentia. Ad tuendam porro immunitatem ecclesiasticam, quatenus inter nos fieri potest, districte iisdem prohibemus, ne contra sacerdotem, vel clericum de rebus etiam temporalibus, coram judici civili litem intentent, sine permissione scripto expre-

sa ipsius Ordinarii, cujus erit in omnibus hujusmodi casibus litem, quantum fieri potest, amice componere, re etiam, si opus sit, ad consultores vel aedituos delata.

"Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, excommunicationem, speciali modo Romano Pontifici reservatam, ipso facto incurrunt." (Conc. Pl. Balt. III. 84.)

TITULUS IV.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

XXVIII. *De reditibus, eorumque ratione reddenda.*

Ut omnia recte ordinateque procedant, rectores missionum habeant librum computi in quo recepta et expensa, jura et debita, perspicue et accurate suo quaeque ordine describantur. (Conc. Plen. III. 275.)

Libri computi mitti debent ad Ordinarium die primo mensis Januarii uniuscujusque anni, et ea inter, de quibus ratio specifice reddenda est, sunt, Penny Collections, Seat Money, Pew Rent, Extra Collections, whether monthly, quarterly or yearly, Christmas and Easter Collections. Collecta autem pro orphanis accurate adnotanda sunt et ratio de illis exhibenda intra hebdomadam post primam Dominicam Octobris.

XXIX. *De inventariis.*

Praeterea, ne rectores et piorum locorum curatores proprias suas res rebus Ecclesiae immisceant, cum famae suae discrimine, fidelium offensione, vel injuria Ecclesiae, duplex conficiant rerum inventarium. In utroque hoc inventario diligenter bona, tam mobilia quam immobilia, quae ad missionem vel locum spectant, notentur; in eo vasa sacra sacramque omnem suppellectilem describant; omnia recenseantur quaecumque pertinent at domum presbyteralem, scholas et coemeterium; neque omittant indicare reditus permanen-

tes, si qui sint, et onera, quibus ecclesia vel locus subjicitur. Inventarii unum exemplar, a pastore vel curatore et aedituis vel consiliariis subscriptum, ad Cancellarium mittatur, ut in archivo dioecesano servetur, alterum in archivo missionis vel loci asservabitur. Inventarium singulis annis a pastore, et aedituis (*Trustees*) vel consiliariis, recognoscatur, bona intra annum acquisita vel onera suscepta addantur, quorum item catalogus, rite signatus, Cancellario transmittatur. (Conc. Pl. III. 276)

XXX. *De donationibus.*

Ne contentioni inter successorem et decessorem de rebus mobilibus locus relinquatur, servetur regula statuta: ea scilicet, quae ecclesiasticis usibus apta rectori missionario donantur, esse missioni donata, nisi contrarium clare et indubitanter pateat. (Con. Pl. III. 276.)

XXXI. *Aere alieno ne graventur.*

Strictissime prohibemus, vetamus et interdicimus, ne quis rector, sacerdos, et pii loci curator, sive ecclesiae sive missionis sive Episcopi nomine, ecclesiam suam vel locum aere alieno gravare quocumque titulo vel colore audeat ultra $300, sine expressa et scriptis exarata licentia Ordinarii. (Conc. Pl. III. 279.)

XXXII. *De pecuniarum mutuo.*

Reprobamus quoque ac damnamus eum, qui haud paucis in locis inolevit, morem deponendi apud sacerdotes pecuniam, ea lege, ut foenore aucta statuto tempore recuperetur. Praecipimus itaque ne quis hujusmodi deposita in posterum accipiat, nisi prius Episcopi venia, in scriptis concedenda, habeatur. "Et illud quidem omnes pro comperto habeant, Episcopus nullo modo teneri ad solvendum, si quis clericus, contra hanc ordinationem, mutuam acceperit pecuniam aut aes alienum contraxerit. (Conc. Pl. III. 279.)

XXXIII. *Poena contra transgressores.*

Si quis sacerdos in proprium sui ipsius commodum ecclesiam seu missionem aere alieno gravare, sine Episcopi licentia, audeat, censura ecclesiastica plectetur. (Ibidem.)

XXXIV. *Contra incendia assecuratio.*

Propter semper imminens incendiorum periculum mandamus, ut omnia aedificia ecclesiastica, contra damnum ex incendio oriundum, nomine corporationis vel Ordinarii, tempestive assecurentur. (Conc. Plen. III. 283.)
Hae autem assecurationes per Cancellarium nostrum fiant.

XXXV. *Testamenta conficiantur.*

Omnes hortamur sacerdotes ut de bonis suis, si ulla essent ipsis, testamentum ad normam legum tempestive conscribant. (Conc. Plen. III. 277.)

TITULUS V.

DE JURIBUS STOLAE ET MISSARUM STIPENDIIS.

XXXVI. *Quomodo se gerent sacerdotes circa oblationes pro Ministerio.*

Quidquid a fidelibus occasione administrationis baptismi, matrimonii vel alicujus functionis sacrae, de more sacerdotibus offeratur, accipere possunt. Prohibemus autem, quominus ullum pactum vel stipulatio de pecunia solvenda, sive ante sive post functionem intercedat, vel sacramenta, intuitu pecuniae non solvendae, denegentur. A pauperibus, qui non habent quid dent, nihil omnino petatur.

XXXVII. *De Missarum stipendiis.*

Stipendium pro Missa privata erit unum dollarium; pro Missa cantata cum Exequiis decem dollaria; pro Missa solemni viginti dollaria; pro Missa lecta cum Exequiis quinque dollaria.

XXXVIII. *De salariis, atque Nativitatis et Paschatis collectis.*

Tamquam salarium Pastores $600,00 accipient, Assistentes $400,00. Collectae quae fiunt tempore Nativitatis et Paschatis in thesauro Ecclesiae deponendae sunt. Si quis autem pastor $600,00 acquirere nequit, quin partem abstrahat a collectis Nativitatis et Paschatis, tantum illi abstrahere licet, quantum requiritur ad summan $600,00 complendam.

TITULUS VI.

DE SCAMNIS ET DE MODIS PROHIBITIS PECUNIAS COLLIGENDI.

XXXIX. *Quibus scamna locentur.*

Scamna ecclesiae locentur tantum membris vel fidelibus paroeciae. Si autem personae vel familiae ad aliam ecclesiam vel paroeciam pertinentes scamna conducere velint, non iis locentur, nisi clare fuerit probatum easdem in ecclesia propria jam scamna conduxisse eaque tenere.

XL. *De collectis ad fores ecclesiae.*

Praxim, sicubi forte existat, pecuniam exigendi ad fores ecclesiae, Dominicis ac Festis diebus, ut quis ingredi possit ac sacrosancto Missae sacrificio interesse, eliminari praecipimus. (Conc. Pl. III. 288.)

Si vero in quibusdam ecclesiis pretium scamnorum ad fo-

res accipitur, sacerdotes curabunt id ne fiat in ipso ingressu ecclesiae, quo intrantes impediri videantur.

XLI. *Spatium liberum habeatur.*

In unaquaque ecclesia spatium liberum constituatur, ubi fideles pauperes Sacro interesse et Verbum Dei audire possint; vel scamna, quae minimo pretio habentur, occulte egentibus dentur.

XLII. *Ab altari non discedatur ad eleemosynas petendas.*

Non decet sacerdotes intra Missarum solemnia ab altari recedere, aedemque sacram circumire, ut a fidelibus eleemosynas petant. Hanc perversam agendi rationem vetamus. (Con. Pl. II. 364.—III. 293.)

XLIII. *De colligendis eleemosynis extra districtum.*

Nullus sacerdos, curam animarum in dioecesi exercens, eleemosynas in districtu alterius sacerdotis, sine Ordinarii consensu in scriptis, vel Rectoris respectivi, colligere audeat. Personae autem extraneae sive sacerdotes, sive laici, colligere volentes, a nullo sacerdote licentiam obtinere valent, nisi Ordinarius veniam in scriptis iis prius concesserit.

TITULUS VII.

DE CATHEDRATICO.

XLIV. *De sustentatione Episcopi.*

Quum in hac regione vix ulla sit mensa episcopalis, unde possit Episcopus vitam honeste sustentare, dioecesis cui invigilat temporalia ad hoc necessaria subministrare debet. Nolumus in praesenti aliquid definite de hac re statuere; sed sacerdotes aliquos designabimus, quorum erit cum aliis

consilia conferre, et quid ab unaquaque ecclesia certo dari possit inquirere, et quod promissum est, debito tempore obtinere, ut sic facilius et efficacius munus nostrum exercere possimus et onus Nobis impositum portare.

XLV. *Ex quibus fundis subducenda.*

Quum et justitia suadeat, et S. Congregatio declaraverit Episcopo jus esse media sustentationis ex omnibus dioecesis ecclesiis recipiendi, decere credimus et ab omnibus desiderari haud dubitamus, ut haec obtineantur, quin laedatur ullo modo dignitas Episcopalis. Quare praecipimus ut ex ordinariis ecclesiarum proventibus summa statuta subtrahatur, et nolumus ut collectiones publicae ad hunc finem instituantur.

TITULUS VIII.

DE PAUPERIBUS ET MODO EOS SUBLEVANDI.

XLVI. *Societates S. Vincentii de Paulo instituantur.*

Sacerdotes enixe in Domino hortamur et obsecramus, ut indefesso zelo et charitatis pleno pauperes disquirant paroeciae suae, eosque in ipsorum necessitatibus sublevent, non solum quia egentes sunt, sed quia perversionis periculo maxime exponuntur. Quod ut melius perficiatur, praecipimus et mandamus, ut in unaquaque paroecia, praesertim hujus urbis, Denver, instituat pastor societatem S. Vincentii de Paulo, cui incumbet pecunias colligere, pauperes honestos disquirere atque sublevare. Societas ita constituta semel saltem in mense conveniat praesente pastore. Qui his societatibus praesunt semel in mense, sub uno quem sibi elegerint praeside, in unum locum conveniant, ut omnia bene faciliterque peragantur. Invigilent pastores cura maxima in adolescentes utriusque sexus, praesertim in puellas, qui ephemerides in viis publicis venditant, et in alios periclitantes.

TITULUS IX.

DE ORPHANIS.

XLVII. *Quid pro eis factum sit, quidque faciendum.*

Quo melius ali et educari possint parvuli egentes hujus Denverensis dioecesis, Decessor Noster, magna erga illos charitate impulsus, S. Vincentii orphanotrophium e solo excitavit. Quod quum temporum exigentiis impar inveniretur, aliud a Sta. Clara dictum ultimis annis erectum est. Auxilia dictis asylis afferre magni Nobis negotii est, nec vobis minoris esse debet, Fratres charissimi. Quomodo enim Ejus, qui Bonus Pastor vocatur, discipuli reputare possemus, si orphanorum lacrymas et ploratus audire nollemus? Nec ideo tantum curam de illis habere deberemus, quod famis doloribus, sed ideo praesertim quod maximis fidei periculis exponantur.

XLVIII. *De collectis ad eos juvandos.*

Quamobrem vos, Reverendi Patres, vehementer hortamur in quantum poteritis Orphanis et duobus Asylis providere; et quo melius provideatur, hoc Nobis visum est statuere: Fiat singulis annis, in unaquaque hujus dioecesis paroecia nec non et missione, prima Dominica Octobris, Collecta pro Asylis S. Vincentii et Stae. Clarae.

TITULUS X.

DE SACRAMENTIS.

XLIX. *Rituale Romanum et caeremoniae servandae.*

In Sacramentorum administratione et Missae celebratione leges Ritualis Romani et caeremonias stricte servari volumus, et quemcumque abusum contrarium eliminari mandamus.

TITULUS XI.

DE BAPTISMO.

L. *In baptismo adultorum nequit adhiberi formula brevior.*

Sciant Sacerdotes Nostri nullum existere privilegium in hac dioecesi, quo liceat pro adultis baptizandis formulam breviorem, pro parvulis constitutam, adhibere; neque ulla consuetudo in contrarium invocari potest: sed Rituali Romano omnino standum est. (Conc. Plen. II. 243 not. 3 —Americ. Eccl. Review April 1894 p. 296).

TITULUS XII.

DE CONFIRMATIONE.

LI. *Ne in longum differatur.*

Quod ad sacrum Confirmationis Sacramentum spectat, omnes Christi legatione fungentes hortamur, ut maximo cum studio de isto, nostris temporibus tam necessario sacramento, instructiones saepe tradant, neque quemquam, ut aliquando accidit, multos transire annos sinant, antequam illud recipiat.

LII. *Quinam admittendi.*

Nemo ad Confirmationis susceptionem admittatur, quin diligenter instruatur de iis quae ad naturam effectumque hujus Sacramenti spectant; quos confirmandos Episcopus, sive per se sive per presbyterum, in doctrina Christiana eo tempore examinet.

TITULUS XIII.

DE EUCHARISTIA.

LIII. *De celebratione Missae.*

Singulis diebus, hora statuta, Divinum Sacrificium offerat quisque Sacerdos, gregemque suum hortetur ut, cum poterint, eius celebrationi intersint quotidie, et speciatim in festis illis quae dicuntur devotionis. (Conc. Balt. II. 365.)

LIV. *De Missae, diebus festis, intentione.*

Juxta decretum a S. C. De Prop. Fide nuper editum, nullae hactenus in hac regione sunt Paroeciae canonice institutae; proindeque pastores non tenentur ex justitia Missam pro populo sibi commisso diebus Dominicis et Festis applicare. Cum autem id ex caritate valde deceat, eos omnes enixe in Domino hortamur ut Missam, diebus praedictis, applicent pro populo a quo sustentationem accipiunt.

LV. *Missa media nocte Nativitatis Domini.*

Incommoda, quae ex coetu fidelium habendo mediam sub noctem in die Natalis Domini in his regionibus nascuntur, prae oculis habentes, prohibemus ne absque speciali privilegio ecclesia ulla hujus dioeceseos aperiatur fidelibus ad officia divina vel sacrum accedentibus, ante quintam horam post mediam noctem in festo praedicto. Haec quae statuimus, in fere omnibus archidioecesibus hujus regionis observantur.

LVI. *De facultate celebrandi Missam de Requie in festis duplicibus.*

Ex indulto S. Congr. de Prop. Fide die 11 Sept. 1887 ad quinquennium concesso, et iterum ad quinquennium renovato A. D. 1892, omnibus Sacerdotibus sacro ministerio in

hac Dioecesi fungentibus, facultas conceditur celebrandi Missam de Requie bis in hebdomada, etiam diebus ritus duplicis, exceptis tamen diebus ritus duplicis primae et secundae classis, de praecepto, vigiliis, feriis ac octavis privilegiatis.

LVII. *Privilegium Officii Divini recitationem anticipandi.*

Possunt etiam Sacerdotes huius dioecesis, ad septemptrionem fluminis Arkansas degentes, matutinum cum Laudibus a meridie diei praecedentis anticipare.

LVIII. *De quadraginta horarum expositione.*

Ad Christi fidelium autem erga SS. Sacramentum adaugendum amorem, diligenter integram per nostram dioecesim servari cupimus devotionem illam pulcherrimam, qua SS. Eucharistia, in forma precum Quadraginta Horarum, in ecclesiis solemniter exponitur et colitur.

LIX. *Prohibetur nocturno tempore, et indulgentiae declarantur.*

Expositio horis nocturnis, ex dispensatione apostolica, fieri non debet, neque processio ex obligatione. Certiores fideles faciant pastores eos omnes, qui ecclesiam, in qua SS. Sacramentum exponitur, semel in triduo visitaverint, indulgentias omnes juxta Clementinam Constitutionem concessas obtinere posse, indulgentiamque plenariam huic visitationi adnexam ab iis omnibus lucrifieri posse, qui etiam pridie expositionis Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae receperint.

LX. *Quibus diebus solemnis expositio SS. Sacramenti haberi poterit.*

Solemnem benedictionem, et quidem semel in die, indioecesi nostra impertiri concedimus singulis diebus Dominicis, festis de praecepto et festis I et II cl., festo SSmi Cordis

et prima feria VI cujusvis mensis, quotidie in exercitiis spiritualibus annuis sacerdotum et Communitatum religiosarum, ter in qualibet hebdomada Quadragesimae, quotidie in exercitiis mensis Maji in honorem B. M. V., in festo Corporis Christi, et quotidie per Octavam.

LXI. *De culto SS. Cordis Jesu.*

Inter alias devotiones a Clero Nostro pia sollicitudine inter fideles propagandas, insignem locum tenet devotio erga Sacratissimum Cor Jesu. Haec enim extollitur ab Ecclesia summis laudibus, indulgentiis pluribus ditatur, et ab omnibus animabus pietati addictis maximo cum favore ubique accepta est. Hac de causa desideramus ut in missionibus omnibus et ecclesiis urbanis devotiones erga Cor Jesu ordinentur, ibique, prima feria sexta uniuscujusque mensis, Sacratissimum hoc Cor speciali modo, et praesertim per sacram Communionem, pie honoretur. Ex isto fonte divino saluberrimos gratiarum rivos pro nobis ipsis et pro animabus quarum curam gerimus impetrare, et eo uberiores fructus in sacro ministerio sperare poterimus, quo nos in hac devotione ferventiores et constantiores perstiterimus.

LXII. *De consecratione annua SS. Cordi Jesu facienda.*

Praeterea statuimus ut in qualibet ecclesia Consecratio SSmo. Cordi Jesu, dum SSmum. exponitur, quotannis fiat, Dominica infra Octavam festi Sacratissimi Cordis.

LXIII. *De exercitiis Marianis et Quadragesimalibus.*

Ut devotio erga Beatam Mariam Virginem nutriatur, et in dies crescat, exercitia pia per mensem Maji in unaquaque ecclesia, apud quam sacerdos residet, locum habeant. Per tempus Quadragesimale, saltem semel in hebdomada, concio habeatur, et Viae Crucis exercitium feria VI peragatur.

TITULUS XIV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

LXIV. *Habeantur confessionalia ad confessiones audiendas.*

Confessionalia in ecclesiis in loco patenti ac publico erigenda sunt. Confessiones mulierum vel puellarum in aedibus vel alibi extra confessionalia non audiantur, exceptis quae surdae sunt, aut aegrotae. In confessionibus excipiendis, tam intra confessionalia, quam in missionibus procul ab ecclesia, curandum erit, ut locus sit publicus et patens, et ut per crates interpositas excipiantur.

LXV. *Pueri saepius confiteantur.*

Iterum iterumque hortamur sacerdotes ut cura maxima adolescentes sacramentis frequentandis assuefaciant. Liberi. qui nondum ad sacram primam synaxim accesserunt, saltem quater in anno, i. e. singulis Quatuor temporibus, ad confessionem sacramentalem admittantur.

LXVI. *Quomodo induti confessiones sacerdotes audiant.*

Sacerdotes, audituri confessiones, talari veste, superpelliceo et stola violacea utantur, salva Religiosorum consuetudine legitima, qui tamen stolam violaceam super vestimenta ipsorum religiosa semper adhibeant.

LXVII. *De audiendis religiosarum confessionibus.*

Ad absolvendas religiosas, eis exceptis quae justa de causa extra monasterium suum versantur, specialem a nobis requiritur facultas. Verba autem "extra monasterium versari" intelligi debent, extra monasterium esse, (e. g. in itinere,) ut ordinarii confessarii copiam religiosa habere nequeat, non autem si tantum ad negotia peragenda in urbem egrederetur.

LXVIII. *Possunt petere extraordinarium.*

Prae oculis tamen habeant Sacerdotes religiosarum institutionum curam habentes, nuperrimum decretum S. C. Ep. et Reg. 17 Dec. 1890, quo accessus ad extraordinarium confessarium facilior redditur, ut nempe non modo bis vel ter in anno confessarius extraordinarius ab Episcopo assignetur qui religiosas omnes audiat, sed unicuique in particulari, quotiescumque vera necessitas extraordinarium petendi adsit, aliquis extraordinarius non denegetur.

LXIX. *Conceditur facultas superioribus Regularium.*

Ad evitandas igitur querelas et periculum confessionis sacrilegae praecavendum, facultates necessarias ad confessiones excipiendas in praedictis casibus praestamus,

Praeter Vicarium nostrum generalem, Superioribus tum generalibus tum localibus Religiosarum familiarum in nostra dioecesi curam animarum habentium, cum potestate easdem facultates subditis suis communicandi.



TITULUS XV.

DE EXEQUIIS ET SEPULTURA.

LXX. *In Ecclesia funera celebranda, et doceantur fideles quae vera sint suffragia.*

Exequiae defunctorum, quantum fieri potest, in ecclesia celebrentur. Pastorum autem officium erit, ut fideles edoceant, non externa pompa vanoque apparatu, quibus persaepe vivorum potius quam mortuorum quaeritur honor, animas defunctorum juvari; multum vero eleemosynis, bonis operibus precibusque piis, ac praesertim oblatione sacrificii Missae, quae juxta Rituale Romanum nunquam omitti deberet.

LXXI. *Quid de iis qui addicti fuerunt secretis societatibus.*

Catholici, societatibus secretis alligati, non solum ad sacramenta admittendi non sunt, quamdiu ligamen cum istis non solvunt, sed etiam sepultura ecclesiastica denegari debet iis, qui usque ad mortem in istis societatibus pertinaciter manserunt. Quod si aliquando contigerit aliquem moribundum societati renunciasse, et pacem ecclesiae impetrasse, ritus sacros in ejus sepultura adhiberi permittimus, ea tamen conditione, ut socii superstites, propriis ornati insignibus, funus non comitentur.

TITULUS XVI.

DE MATRIMONIO.

LXXII. *De poena contrahentium coram ministro acatholico.*

Decernimus Catholicos, qui coram ministro cujuscumque sectae acatholicae matrimonium contraxerint, vel contrahere attentaverint, excommunicationem ipso facto incurrere Nobis reservatam. (Conc. Pl. III. 127.)

LXXIII. *Quibus in casibus haec poena mitigetur, et quid tunc agendum.*

Si autem mora necessaria ad facultatem absolvendi petendam a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali, magnum aliquando afferat incommodum, indulgemus, ut a pastore loci, vel si copia ipsius adeundi non sit, a quocumque sacerdote, qui facultatibus gaudet excipiendi confessiones, absolvi possint extra tribunal poenitentiae, gravi prius injuncta poenitentia. In his autem casibus Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem, monere quamprimum sacerdos, qui eos absolvit, tenebitur, et rationes assignare, ob quas id necesse esse judicaverit. Volumus autem, ut in omni casu absolutio ab hac censura vel palam detur in publico fidelium

coetu, vel ita saltem ut illius notitia satis publica habeatur, ad scandalum reparandum.

LXXIV. *De Bannis seu promulgationibus matrimoniorum.*

In locis ubi singulis Dominicis Missa celebratur, tribus bannorum proclamationibus, inter missarum solemnia, fidelium matrimonia cohonestari oportet; in ecclesiis in quibus Missa una vel duabus dominicis in mense celebratur, pro rata, una vel duae proclamationes fiant.

LXXV. *Qua in ecclesia promulgationes faciendae, etiam clauso tempore.—Qui praeesse jus habeat.*

Si contrahentes in diversis paroeciis habitant, in utroque loco fiant proclamationes.

Hoc in casu curet Pastor, coram quo Sacramentum perficiendum erit, ut rectam probationem habeat de statu libero illius partis quae alienae paroeciae pertineat.

In ejusmodi praeterea casu, ubi nempe sponsus et sponsa ad diversas paroecias pertinent, coram pastore sive mulieris sive viri sacramentum perficere licet, et ille, coram quo perficitur, integram oblationem retinere potest.

In mixtis matrimoniis, proprius pastor est pastor partis catholicae, ut patet.

Proclamationes fieri debent etiam tempore clauso, i. e. a Dominica I Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive.

LXXVI. *Quod jus dispensandi sacerdos habeat.*

Quilibet sacerdos de una bannorum promulgatione dispensare potest.

LXXVII. *Taxa pro dispensationibus imponenda.*

1º	pro dispensatione trium bannorum		$5
2º	"	duorum "	3
3º	"	unius "	2
4º	impedimenti mixtae relig. vel disp. cult.		5
5º	consanguinitatis vel aff. in 2º gradu, . .		10
6º	affinitatis in 1º gradu		20 ad 100

(Epist. Revmi. Episc. Januar. 1890.)

LXXVIII. *De hora diei et loco celebrandi matrimonia.*

Matrimonia fidelium semper in ecclesia celebrentur, nisi ecclesia adhuc desit. Ardenter autem desideramus, ut matrimonia, quantum fieri potest, celebrentur mane et cum Missa pro Sponso et Sponsa, in qua benedictio nuptialis excipiatur. Haec specialis benedictio extra Missam dari non potest.

LXXIX. *Quodnam sit quasi domicilium.*

Quasi domicilium in ordine ad matrimonium censetur commoratio per spatium unius mensis, seclusa intentione de animo ibi per majorem partem anni manendi. (Inquis. 1886.)

LXXX. *Dispensationes telegrapho ne committantur.*

Dispensationes non debent peti per telegraphum nisi gravissima urgeat causa.

LXXXI. *Parocho proprio oblationes debentur.*

In casu in quo nubentes pertinent ad aliam paroeciam, et extra eorum paroeciam, cum licentia parochi, matrimonio conjunguntur, oblationes integrae ad eorum parochum mittendae sunt.

LXXXII. *Matrimonia mixta avertenda.*

Quum Ecclesia semper aversata sit nuptias, inter catholicos et acatholicos, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob gravissimum periculum vel perversionis catholicae partis, vel pravae institutionis prolis nasciturae, (Conc. Plen. III. 30,) monentur Pastores animarum ut omnem ponant operam ad fideles a mixtis istis conjugiis deterrendos, ac proinde jubemus ac praecipimus ut curam animarum habentes, bis in anno, scilicet tempore Adventus et in Dominica *Quasi modo*, legant in Missarum solemniis, litteras de matrimoniis mixtis. (v. app.) Si vero aliquando evitari non possunt et dispensatio petenda est, promissiones et cautiones, juxta formam in appendice positam, omnino exigendae sunt et dispensari nunquam possunt. (Instr. de Matr. die 15 Nov. 1858.)

TITULUS XVII.

DE PATRONO ET TITULARI ECCLESIAE PROPRIAE.

LXXXIII. *Quo ritu celebrandum Titularis Festum.*

Festum Titularis Ecclesiae cujuscumque, saltem benedictae quamvis non consecratae, a clero ipsi adscripto peragi debet sub ritu duplici primae classis cum octava, tam in officio quam in Missa. (S. R. C. 1872.) In urbibus die festo celebretur; rure, quoad externam solemnitatem, in Dominicam sequentem transferri potest. In suffragiis divini officii fit Titularis Commemoratio in Vesp. et Laudibus, etiamsi Titularis sit mysterium, e. g., SS. Trinitatis.

LXXXIV. *De festis infra hebdomadam.*

Festa, quae his in locis de praecepto sunt, ab omnibus observari debent. Cum autem difficile sit a servilibus operibus abstinere, cum infra hebdomadam cadant, saltem una

Missa mane diluculo celebrari debet ad satisfaciendum eorum devotioni, et caetera omnia ut in Dominicis habeantur.

Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. in omnibus hujus Dioeceseos Ecclesiis debita solemnitate et ritu peculiari celebretur.

TITULUS XVIII.

DE SCHOLIS.

LXXXV. *Quanti sit educatio parvulorum.*

Christus Salvator Noster, qui parvulos tenerrimo et ardentissimo dilexit amore, merito nos, nisi disciplinae illorum christianae totis viribus incumbamus, uti servos indignos et ignavos habebit. Quoniam autem parvuli per suavem et sacrosanctam christianam disciplinam ad Christi imaginem efformantur, quantum ejusmodi disciplina importet nemini patescere non potest. Neque fieri potest quin gravi moerore afficiamur, quum per universam hanc mundi regionem, publicis nostris in scholis, Christum ejusque Ecclesiam ignorari cernimus, falsam mancamque scientiam praevalere.

LXXXVI. *Quae de parvulorum educatione statuta ac servanda sunt.*

Ut ergo parvulos, Sanctae Matris Nostrae Ecclesiae, cives coelo dignos et patria efficiamus, animo forti ardentique enitamur, et ea teneamus alta mente infixa quae in Conc. Balt. III decreta sunt:

1. Prope unamquamque Ecclesiam, ubi nondum existat, scholam parochialem intra duos annos a promulgatione hujus Concilii erigendam et in perpetuum sustentandam esse; nisi Episcopus, ob graviores difficultates dilationem concedendam esse judicabit.

2. Sacerdotem, qui intra hoc tempus erectionem vel sustentationem scholae gravi sua negligentia impediat, vel,

post repetitas Episcopi admonitiones, non curet, mereri remotionem ab illa Ecclesia.

3. Missionem vel paroeciam, quae sacerdotem in erigenda vel sustentanda schola adjuvare ita negligat, ut ob hanc supinam negligentiam schola existere non possit, ab Episcopo esse reprehendendam, ac, quibus efficacioribus ac prudentioribus modis potest, inducendam ad necessaria subsidia conferenda.

4. Omnes parentes catholicos prolem suam ad scholas parochiales mittere teneri, nisi vel domi, vel in aliis scholis catholicis, christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant; aut ob causam sufficientem ab Episcopo approbatam, et cum opportunis cautionibus remediisque, eos ad alias scholas mittere ipsis liceat. Quaenam autem sit schola catholica, Ordinarii judicio deferendum relinquitur. (Con. Balt. III. 199.)

LXXXVII. *Uniformitas sit in electione librorum.*

Nostris in scholis uniformitas quoad libros, quibus discipuli utantur, existere debet, et de hoc pastores rogantur ut inter se statuant quibus libris uti discipuli debeant.

TITULUS XIX.

DE VERBI DIVINI PRAEDICATIONE.

LXXXVIII. *De ejus necessitate.*

Praeceptum divinum est, pastores oves suas Verbo divino pascere debere. Praecipimus ideo ut animarum curam gerentes, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti ipsi fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et eorum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, brevitate et facilitate sermonis, vitia quae eos declinare et virtutes quas sec-

tari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant. (Conc. Trid. de Ref.)

LXXXIX. *Quae vitanda sint.*

Serio monemus praedicatores, ut profanas vocum novitates devitent; in iis enim dolus et periculum saepenumero latent. Ineptae autem et aniles fabulae ne e suggestu enarrentur ipsa ratio suadet.

XC. *Quae docenda sint.*

Quantum ope divina adjuti poterunt, animarum rectores a Magnetismi abusibus et Spiritismi, atque errorum cognatorum periculis, Dominicum gregem defendant. Pari modo praemuniant eum contra seductiones falsarum doctrinarum sub nomine Socialismi, Communismi et Anarchismi a S. Sede damnatarum; eoque fine nocturna manu diurnaque versent aureum illud documentum, recenter ab eadem Sede suprema emanatum, Encyclicam scilicet *de Conditione Opificum*, quae verbis *Rerum novarum* incipit. (Leo XIII, 15 Maji, 1891.)

XCI. *Diebus festis, in omnibus Missis, verba ad populum habeantur.*

Quum plures sint fideles qui necessitate coacti, aut voluntate, Missis privatis assistunt dominicis diebus, inter quarum celebrationem, ne una quidem vice toto anno, pascuntur salutaribus verbis, praecipimus, ut diebus Dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes, qui curam habent animarum, inter celebrationem omnium omnino Missarum, quibus adstant fideles, sive illae Missae sint cantatae, sive privatae, vel etiam valde mane celebrentur, evangelium diei occurrentis lingua vernacula distincte legant, atque, si tempus patiatur, per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant, omni consuetudine aut praetextu in contrarium non obstante.

XCII. *Disceptationes non habeantur.*

Publicas cum haereticis de materiis Fidei disceptationes habere, absque consensu Nostro, non licet. Clerici praesertim omne genus cautionis adhibeant, si quando in controversiam cum aliis, sive oralem sive privatim scriptam, induci contigerit.

XCIII. *Scholae Dominicales.*

Valde desideramus ut scholae dominicales prae se ferant specialem formam religiosi conventus puerorum. In iis sacrorum hymnorum concentus praeeant instructionem et Divinissimi cum pyxide benedictionem, quod in animis ipsorum imprimantur religiosi sensus, qui eos doceant in matura aetate festos dies, ut par est, sanctificare, atque, ubi fieri potest, vesperorum celebrationi interesse.

"Jubemus ergo ut parvulorum curam assiduam habeant animarum Rectores, praesertim quo tempore parantur ad sacram Communionem prima vice recipiendam. Satagant insuper Rectores ut pueri puellaeque, post primam suam Communionem per duos subsequentes annos, Catholicam doctrinam suaque munera christiana plenius edoceantur," adjectis documentis de Historia utriusque Testamenti et Ecclesiae, ac de Vita Sanctorum.

Ad hunc finem tam optabilem consequendum, utantur Pastores industriis quibusdam, ac speciatim praemiis, quo facilius juvenes ad coelestem sapientiam hauriendam attrahantur. Parentes etiam, omnibus quibus poterunt modis, inducant ut partes suas hac in re non negligant.

In missionibus vero dissitis, ubi res difficultate non vacat, ita Rectores missionarii tempus suum ordinent, ut statuta hora explicationi Doctrinae Christianae, atque de illa examinandis pueris, tribuatur. (Conc. Plen. III. n. 217, 218.)

TITULUS XX.

DE PROHIBITIS ET APPROBATIS SOCIETATIBUS.

XCIV. *Quae sint damnatae.*

Societates secretas hostem infensissimum Ecclesiae Dei et fuisse et esse declarant, non modo monita eorum, qui a Christo positi fuerunt ad custodiendam civitatem Dei, verum etiam confirmant eventus tristissimi duorum superiorum saeculorum, multoque magis miserrimus status, ad quem pluribus in locis Ecclesia est redacta. Magni igitur momenti est, ut clare cognoscant sacerdotes, quaenam societates inter damnatas referendae sint.

Condemnati sunt et absolvi non possunt:

1. A fide christiana apostatae et omnes ac singuli haeretici, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant.

2. Nomen dantes sectae Massonicae vel Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimam potestatem civilem, seu palam seu clandestine, machinantur.

3. Qui nomen dederunt Fenianis (Decr. S. Off. 1870.)

4. Qui nomen societati dedit, quae ita secretum servandum injungit, ut neque auctoritate Ecclesiae illud manifestari sinat, aut jusjurandum vel promissionem caecae absolutaeque obedientiae exigat, donec effectu ipso ab ea penitus recedat, vel saltem se continuo recessurum serio promittat.

5. Qui societati nomen dedit, quae presbyterum aliumve ministrum cultus sibi vindicat cum proprio Rituali et Caeremoniis.

Aliae Societates, veluti Sociorum Singularium, Equitum Pythiae et aliorun, non sunt excommunicatae, ideoque nec denegari illis debet absolutio, nisi confessariis compertum fiat Societatem esse poenitenti proximam occasionem peccati mortalis. Potius urgendi sunt ejusmodi socii ut sese a retibus illis extricent, et nomen dent societatibus approbatis, cujus generis sunt Equites Catholici Americae (C. K. of

A.) Catholicae Mutuae Benevolentiae Societas (C. M. B. A.) In his enim societatibus emolumenta eadem, etiam pecuniaria, reperire possunt fideles, atque nullo periculo morali objiciuntur.

XCV. *Quomodo se geret Sacerdos.*

Prohibemus et vetamus ne quis sacerdos nominatim societatem publice denunciet; sed in omni casu res ad Ordinarium referenda est, qui et ipse rem referet ad commissionem quae pro hujusmodi causis judicandis constituitur, et quae constabit ex omnibus Archiepiscopis harum provinciarum.

XCVI. *De societatibus honestis.*

Quum ex societatibus religiosis bona multa oriantur, modo bene sint institutae, et e contra mala haud levia timenda sint, si male constituantur vel dirigantur, Nostrum esse duximus haec de illis decernere:

Nulla societas tamquam societas religiosa in hac dioecesi agnoscetur, nisi societas ipsa et scopus quem sibi proponit, sicut et statuta quibus regitur, post institutum debitum examen, approbatione digna judicaverimus, quam approbationem in scriptis obtinere debet.

Valde autem Societates Catholicas illas commendamus, quas et Christi Ecclesia probavit, et fructus earum salutares tanquam bonas arbores collaudant; ac proinde, hac in re praeclaram instructionem Sac. Rom. et U. Inquisitionis, diei Maji 1884 (n. 6, 7, 8, 9) secuti, instanter rogamus omnes curam animarum habentes ut in paroeciis suis eas constituant; imprimis, idque pro varia conditione sexus et aetatis, Sodalitates Beatae Mariae Virginis, vel Tertium Ordinem Sancti Francisci; deinde, pro omni conditione personarum indiscriminatim, Apostolatum Orationis, Confraternitates SS. Rosarii et S. Scapularis, ac Sodalitatem Bonae Mortis, vel huic affinem Societatem Beatae Virginis a Suffragio dictam. Tandem, ut orationi conjungantur et opera bona, iterum in mentem revocabimus pastoribus Societatem illam admirabilem Propagationis Fidei et Sacrae Infantiae, jam-

dudum paucis abhinc annis a Praedecessore Nostro omnibus paroeciis injunctam, atque aliam a Scto. Vincentio a Paulo nuncupatam. Ita pastores animarum haud dubie satagent praeparare Domino plebem perfectam, Ecclesiae Christi regale sacerdotium, sibique ipsis immarcescibilem coronam in coelis.

Statuta, sic a nostro Concilio et a Nobis approbata, Nobis inconsultis, mutari non debent.

APPENDIX.

METHOD

OF RAISING FUNDS FOR THE EDUCATION OF OUR PRIESTS.

The method we propose to adopt is one followed in several Dioceses in the East, where it has proved successful. It consists in this: Each pastor forwards to the Bishop the name and address of one or more collectors according to the size of his parish. These should be not only willing but competent to do the work required of them. These I will either see personally or write to them, giving them proper directions for the work they are to perform and appoint a certain time for them to do it. We will send them special books in which they will inscribe the names of the donors and the amounts donated. We will accept every donation, be it ever so small.

For those who contribute one dollar a year we will say a Mass ourselves once a month, and another for the deceased contributors, for whom friends continue contributing one dollar a year, and one Mass once a month for the solicitors.

As all cannot very well be reached in this way, each pastor is instructed to take up once a year, within the appointed time, (end of February,) a special collection for this purpose in his Church. Those who have already given their contribution to the solicitor, are not expected to contribute again, unless they choose to do so; he will take the names of each one giving one dollar and forward them to ourselves personally, together with the names and amounts received by the other solicitors. The time to forward these Seminary collections will be the first Sunday of March of each year.

We will then classify these collections by the parishes of the Diocese, giving the amounts each parish contributed and the names of all those that gave one dollar. We will have them printed in a special pamphlet which we will send to every pastor, who will read it to his congregation on the first Sunday after its reception. We will also send a book to every solicitor and every one who has contributed one dollar. Apart from the names and amounts, the pamphlet will contain other valuable reading matter of interest to Catholics of this Diocese.

Knowing the interest which every Catholic, and especially you, our devoted Pastors, must have in this noble work, we feel assured that all will unite with us to make this undertaking a success, and we have no doubt but that God will bless both pastors and people, in giving us an ever more holy and devoted Clergy. The greatest blessing God can bestow upon a congregation, is a devoted Pastor.

✠ NICHOLAS C. MATZ,
Bishop of Denver.

ECCLESIASTICAL CONFERENCES.

For the present there will be four centres of Conferences.

1. Denver, which takes in every mission or parish North of the Divide, beginning from Colorado Springs to Fort Collins, from Georgetown to Wray and Holyoke.

2. Pueblo, which takes in all South from Colorado City to Trinidad, from West Cliff to La Junta.

3. Leadville, which takes in everything from Salida and Breckenridge to Grand Junction, and includes the whole Gunnison Valley.

4. Conejos, which takes in the South West, including the San Luis Valley, Durango, Rico, Silverton, Ouray.

These conferences will take place twice a year, about May and November, and every one will be notified in time of the day and hour by the president of each conference.

ACT OF CONSECRATION

TO THE SACRED HEART OF JESUS.

Approved by Decree of the Sacred Congregation of Rites, April 22, 1875.

O Jesus! my Redeemer and my God! Notwithstanding the great love Thou hast for men, for whose redemption Thou poured out all Thy precious blood, Thou art but little loved by them; Thou art even grievously offended and outraged by them, especially by blasphemy and the profanation of holy feasts! Ah! would that I could make to Thy Divine Heart some satisfaction, would that I could repair that great ingratitude and want of thankfulness which Thou receivest from the great majority of these same men! Oh, that I could show Thee how much I desire to make a return of love to that adorable and most loving Heart, and to honor It in the sight of all men, and also to increase Thy glory more and more! Oh, that I could obtain from It the conversion of sinners, and arouse from their indifference so many others who, though they have the happiness to belong to Thy Church, have not at heart the interests of Thy glory and of the Church, Thy Spouse! Oh, that I could obtain from It that those Catholics, who will show themselves such by many external acts of charity, but obstinately clinging to their own opinion, refuse to submit to the decision of the Holy See, or cherish sentiments at variance with its teaching, would look to themselves, and come to the conviction, that he who refuses to hear the Church in everything, refuses to hear God who is with her!

In order to attain these holy results, and also to obtain the triumph and lasting peace for Thy Immaculate Spouse, the happiness and prosperity of Thy Vicar on earth; in order to obtain the fulfillment of his holy intentions, and also that the members of the clergy may sanctify themselves more and more, and may be pleasing in Thy sight; for

so many other intentions, also, which Thou, O my Jesus, knowest to be conformable to Thy divine will, and which help in some way to the conversion of sinners and to the sanctification of the just; in order that all of us may one day make sure the eternal salvation of our souls; in fine, because I know, my Jesus, that I shall thus be doing a thing very pleasing to Thy most tender Heart, prostrate at Thy feet, in the presence of Mary most holy and of the whole celestial court, I acknowledge solemnly, that by every title of justice and gratitude I belong wholly and only to Thee, my Redeemer Jesus Christ, only source of all good, both in my body and my soul, and in union with the intentions of the Sovereign Pontiff, I consecrate myself to that most Sacred Heart, myself and all that I have; I wish to love and serve It alone with all my soul, with all my heart, with all my strength, making Thy will mine and uniting all my desires to Thine.

Lastly, as a public token of this consecration which I make, I declare solemnly to Thee, O my God, that, in future, to the honor of the same Sacred Heart, I wish to observe, according to the laws of the Church, all the feasts of obligation and to procure their observance by all those, over whom I have any influence or authority.

Placing together in Thy amiable Heart all these holy desires and resolutions, with which Thy grace inspires me, I trust that I may thus be enabled, to make some atonement to It for the many insults It receives from the ungrateful children of men, and find happiness for my own soul and for the souls of all my neighbors, in this life and in the next. *Amen.*

ACT OF ATONEMENT

TO THE SACRED HEART OF JESUS.

Adorable Heart of Jesus! glowing with love for us, and inflamed with zeal for our Salvation! O Heart! ever sensible of our misery, and infinitely rich in mercy to heal the wounds of our souls! Behold us humbly prostrate before Thee, to express the sorrow that fills our hearts at the thought of the coldness and indifference, with which so many ungrateful Christians requite the numberless benefits, which Thou hast conferred upon them. With a deep sense of the outrages, that have been heaped upon Thee, we come to make a solemn reparation of honor to Thy most sacred Majesty.

We know, O dear Redeemer; that the multitude of our own sins overwhelmed Thy Heart with bitterness; that the weight of our iniquities pressed down Thy face to the earth in the Garden of Olives, and caused Thee to expire in anguish and agony on the Cross. But now, repenting and sorrowful, we cast ourselves at Thy feet, and implore forgiveness.

Adorable Heart of Jesus! source of true contrition! impart to our hearts the spirit of penance, and to our eyes a fountain of tears, that we may bewail our sins, and those of the whole world. Pardon, O merciful Jesus! all the insults, reproaches and outrages offered to Thee through the course of Thy life, and during the days of Thy bitter Passion. Pardon all the irreverences and sacrileges, which have been committed against Thee in the Sacrament of Thy love, from its first institution. Oh! that we could blot them out with our tears and with our blood.

Divine Jesus! accept the ardent desire we now entertain, and our holy resolution ever to love and honor Thee in the most Adorable Sacrament of the Altar, thus to repair, by a true conversion of heart and zeal for Thy glory, the negligence and ingratitude, by which we have grieved Thy

most Sacred Heart. Be Thou, O compassionate Jesus! our Mediator with Thy Heavenly Father, whom we have so grievously offended. Strengthen our weakness, confirm our resolution, and with Thy charity, humility, meekness and patience, cover the multitude of our iniquities. Be Thou our support, our refuge and our strength, that nothing may ever separate our hearts from Thee. *Amen.*

LITTERAE PASTORALES

IN MATRIMONIA MIXTA.

Dearly Beloved:

Appointed by the Vicar of Christ, as we are, to watch over your spiritual welfare—nay, placed by the Holy Ghost, though most unworthy on our part, to govern you in religious matters, having, moreover, to give an account of your souls to the Divine Judge—We are constrained by a sense of duty and responsibility to address you some words of admonition. For, although we are aware that many among you are dutiful children of the Church, and delight in revering and obeying its holy laws, there are others, (but we trust they are few,) who imagine that the Church is too rigid and that they are at liberty to dispense themselves from its rules —to obey or to disobey. But the Church, like Christ, is the same yesterday, to-day, and forever; it is the same here as in other parts of the world: its sacred laws, enacted under the guidance of the Divine Spirit, are as binding here as in any other place.

Therefore, we deprecate the haste of those who, when about to marry, will not give timely notice to their Pastors, nor wait for the due publication of the banns: we heartly deplore the bad dispositions of those who, under the guilt of mortal sin, receive the holy Sacrament of Matrimony without any religious preparation: and we sincerely regret the negligence of those who fail to obtain for themselves the treasure of the nuptial benediction, as a pledge of the favor and protection of Heaven. But, above all, we condemn, as fraught with most disastrous consequences, the rashness of those who recklessly make matrimonial engagements, without carefully examining whether in the persons of their choice are found the qualities required in good husbands or wives. Now, among the qualities which a Catholic should seek in a companion before matrimonial engagement, and,

in fact, before beginning or contemplating any mutual affection, is the incomparable treasure of the Catholic Faith. Hence the Church abhors, and has ever abhorred mixed marriages: she does not allow them to be celebrated inside of her temples, nor with her sacred vestments, nor with the imparting of any blessing. And this actitude and these laws of the Church are founded on very obvious reasons. For, leaving aside those happy instances in which the non-Catholic party respects in the Catholic the right of the free exercise of religion and of the catholic education of the offspring, and treating the question on its own merits. it is evident, in the first place, that the faith of the Catholic is naturally liable to be weakened, if not seriously injured, by the absence of all faith or a different belief in the other party. In the second place, the want of the Catholic example, and frequently the actual non-Catholic, and some times anti-Catholic exertions, of one parent must naturally and necessarily damp, materially injure, or wholly paralyze the faith of the offspring. It also often happens that before the children are sufficiently old to understand and practice their religion, the Catholic parent is carried away by death; and in this case it cannot reasonably be expected that the surviving parent, who does not value the Catholic faith for himself, will take much interest, or any interest at all, in securing it to the children. Would to Heaven that sad experience did not corroborate these reasons, and that we were never called on to mourn over the deplorable results which we have pointed out!

Hence, every Catholic young man and young woman should calmly and seriously reflect on all this before entertaining the thought of even the possibility of an engagement, and should also take counsel, in due time, of parents and respective Pastors. Instead of doing so, there are some Catholics who, despising the authority of the Church of Jesus Christ, and almost abjuring their faith, apply for the celebration of their marriage to a civil officer or Protestant minister, exposing themselves thereby to make a contract that may be invalid before God and therefore sinful and sacrilegious—partaking of the enormity of a sacrilegious

communion received at the hands of a minister or a magistrate. This language may appear strong, but we fear it is scarcely strong enough to awaken the indifferent Catholic to a sense of his duty—the only object we have in view.

We therefore ordain: 1st, That the Pastor, unless authorized by the Ordinary, shall not assist at the marriage of those who will not have applied to him at least three days previous to their marriage; 2dly, That none can be married without having furnished due vouchers for their freedom, and, when both parties are Catholics, without the due publication of the banns; 3rdly, That in no case whatever can a Catholic be married by a Protestant Minister, without subjecting himself to excommunication;4t hly, That, when the parties are entitled to the nuptial benediction, the Pastors shall see that the special Mass for that benediction shall accompany or follow the celebration of marriage; 5thly, That, as the Holy See teaches, there must be a grave cause for a dispensation for a mixed marriage, and that the usual promises must be made—otherwise it would be a grievous sin to contract.

Finally, we direct that this circular be read from the Altar at high or last Mass on the 2nd Sunday of Advent and on the 1st Sunday after Easter, or Sunday of *Quasi modo*, every year, in all the Churches of this diocese.

Adopted from the CON. PROV. SAN FRANCISCO.

PROMISES

TO BE MADE AND SUBSCRIBED TO BY THE NON-CATHOLIC PARTY IN MIXED MARRIAGES.

I, N. N.................................... without any mental reservation, fully conscious of what I am about to pledge myself to, and with the full and sincere intention of keeping my plighted word,

SOLEMNLY PROMISE

1st.—Never by any word, action or influence of mine, or of any other person with my knowledge or consent, to interfere with N. N.......... ...., my future wife—husband—in the full and the entire and perfectly free exercise of his—her—religion according to the laws and obligations of the Roman Catholic Church.

2nd—I moreover SOLEMNLY PROMISE to educate and bring up in the Roman Catholic faith each and every child, of both sexes, with which God may bless our union, and that said children shall be brought up and educated in the Roman Catholic Church freely, entirely and without impediment on my part or on the part of any one else, with my knowledge or consent.

3rd—I most SOLEMNLY PROMISE that, should my husband—wife—N.N. .... depart this life before me, I will take upon myself to educate and bring them up in the Roman Catholic religion and never interfere with them in the free and complete exercise of their religion by any instigation, suggestion or prompting of mine or of any other person with my knowledge or consent.

4th—Finally I promise to do all in my power to faithfully accomplish this my most solemnly given pledge.

Signed, N. N......................................

Month of......................... (date......................) 18

Witnessed to by N. N.......................................and

N. N......................Parish Priest of N. N.................